

1. abfertigung der beerdigung,  
ob einem Scriben bij dem  
frou bisnam = top für ein  
zweyten erlaubt 1690
2. Christo-gennete untersuchung  
ob ein yordiger die nachst  
Pract meines Amtes p. bij  
der absolution verlassen  
können 1733.
3. van Bashuysen p. Henr. Jac.  
diff. de theologia naturalis  
protestantia, Serveste 1726

18 44  
P R O R E C T O R  
E T  
S E N A T V S A C A D E M I C V S  
G E O R G I A E A V G V S T A E

S O L V T A Q V A E S T I O N E I L L A  
C V R F I L I V S D E I  
P E R F R E Q V E N T E R S E A P P E L L A R I T  
F I L I V M H O M I N I S  
P I A M E T S A N C T A M I N D I C I T


C E L E B R A T I O N E M  
F E S T I N A T I V I T A T I S  
C H R I S T I.



G O T T I N G A E  
A P V D A B R A M V M V A N D E N H C E C K , A C A D . T Y P O G R .

1540.

*Illustr.*



**C**elebramus hoc tempore rursus publica solennitate τὴν (a) ἐπιφάνειαν τοῦ σωτήρος ἡμῶν, **ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ**, τοῦ Θεοῦ (b) φανερωθέντος ἐν σαρκί, ἀντὶ μορφῆς Θεοῦ λαβόντος (c) μορφήν δούλου. Ob hunc statum τῆς ἀσθενείας (ita statum examinationis vocat Apóstolus (d) ille extraordinarius,) **CHRISTVM** a semetipso appellatum fuisse **FILIVM HOMINIS**, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ideo nunc demonstraturi sumus, quia haec appellatio permultis fuit obscura, aliis aliter id nominis capientibus, plerisque a vero sensu aberrantibus. Iam cum, omnia Saluatoris verba, & illa potissimum, quibus vsus fuit saepius, recte vt intelligamus, danda sit opera, huic praecipue tempori convenire videtur illa, ad quam nunc accincti sumus, disputatio.

Ac initio quidem observamus, quod leue videtur & ab interpretum plerisque neglectum est, sed haudquamquam negligi meretur, articulum hic habere (id quod nec in Graeco nec in Hebraeo sermone inusitatum,) **ὡς δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου** dici pro **ὡς υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου**, hic **filius (e) hominis**, quem habetis ob oculos.

Hinc

(a) 2. Tim. I. 10.

(b) 1. Tim. III. 16.

(c) Phil. II. 6. 7.

(d) 2. Corinth. XIII. 4.

(e) Observat ad Matth. VIII. 20, Beza, familiare esse Hebraeis, vt de

Hinc pro: *Quem dicunt esse ME homines?* quod Marci VIII. 27. & Lucae IX. 18. legimus, Matthaeus cap. XVI. 13. ita scriptum reliquit: *Quem dicunt homines esse τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου;*

Deinde animaduertimus merito, appellationem hanc duodecim illis CHRISTI discipulis claram fuisse ac perspicuam. Nec enim vnquam ex ipso quaesierunt, quid sibi velit nomen hoc, non scilicet omiffuri tot discendi occasiones, si eam appellationem non intellexissent. Ex quo conficimus, dictionem hanc illo tempore vulgarem fuisse inter Iudaeos perque vsitatam.

Sequitur proinde, vt, quid Hebraeis hominibus sit *filius hominis*, inuestigemus. Iam norunt, qui Hebraeas tractant literas, בן אדם alias significare *quemuis hominem*, alias *hominem vilem contemptumque*. Prior notio occurrit *Psal. VIII. 5; XXXVI. 8; LXXX. (f) 18; CXLIV. 3.* itemque *Iobi XVI. 21. & XXXV. 8:* quae loca Graece sic reddi possunt, & cum a septuaginta illis *Psal. XXXVI. 8.* tum *Marci III. 28. & Eph. III. 5.* reddita sunt: οὐ υἱὸς τῶν ἀνθρώπων. Caetera huius generis loca iam a Fesselio exhibita sunt in *Aduersariis (g) sacris*. Alter huius dictionis vsus reperitur *Psal. XLIX. 3.* vbi בן אדם בן אדם opponuntur τὸν υἱὸν, quorum hoc scienter Lutherus reddidit *Herren*, illud *gemeine Mann*, id est, *gemeine (h) Leute*. Pari modo בן אדם, quod nomen *Ies. LII. (i) 14.* occurrit, e

dia-

*de se loquantur in tertia persona, ideoque accipi hunc titulum a CHRISTO loco pronominis primae personae.*

(f) Zeltnerus in *Bibliis Altorfinis* putat, signari hic loci Messiam. Sed rectius reddidit Lutherus *die Leute*.

(g) *Lib. VI. cap. 4. §. 2. p. 30.*

(h) Graecus interpres reddidit γυνεῖς, Latinus item ille vetus *terrigenas*. Notum est, *torrae filios* vocari, qui sunt ignobilissimi.

(i) *Die geringsten Leute* iure interpretatur Zeltnerus in *Bibliis Altorf.* ad h. l. Adde, etiam *Ies. VIII. 1.* אדם (*homo*) significare *plebem*.

diametro aduerfantur τοῖς ὕμνῳις, qui vocantur *Pfal. IV.*  
 3. *denen* (k) *Herren*, vti Lutherus reddidit. Ac eodem  
 sensu *Iesaiæ XXXI. 7.* וְיִשְׂרָאֵל & מִצְרָיִם opponi videas: id quod  
 ad h. l. obseruauit Clericus. Apparet hinc lucide, *filium*  
*hominis* esse plebeium & nullius numeri hominem, *filium*  
*vir* dici virum nobilem dignitateque & auctoritate  
 conspicuum.

Iam si, priori sensu non cepisse hunc titulum Apo-  
 stolos, cognouerimus, posteriori locum relinqui ne-  
 cessario, manifestum est. Quis possent autem credere  
 Apostoli vel potius illi Apostolici muneris candidati,  
 CHRISTVM hac sui appellatione nihil velle aliud, quam,  
 esse se hominem? An id vllus tum siue discipulus siue  
 aduersarius negabat vel dubitabat? Imo vero quod qui-  
 dam *Ioan. IX. 11.* dixisse scribitur: Ἀνθρώπος, λεγόμενος Ἰη-  
 σοῦς, ea vox isque sensus erat communis omnium. Quod  
 si igitur CHRISTVS docere hoc titulo voluisset, verum  
 se esse hominem, aliquid, & quidem saepe studioseque,  
 fecisset frustra. Id quod non cadere in CHRISTVM,  
 cum satis superque intelligeret sancti illi duodecimui-  
 ri, facere non potuerunt, quin statuerent, CHRISTVM,  
 quoties se *filium hominis* appellet, significare suam δούλω  
 μορφήν, conditionem suam maxime plebeiam ac mise-  
 ram, proptereaque vulgo contentam. Accedit, quod  
*filius hominis*, cum priore sensu appellatur, in N. T. non  
 redditur ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, sed υἱὸς ἀνθρώπου. Exempla  
 si quaeritis, inspicite *Ioan. V. (I) 27.* & *Apoc. I. 13.* itemque  
 XIV.

(k) Geierus ad h. l. coniecit, signari purpuratos illos, qui se Abso-  
 lomo, filio ἀντιπάτρου, associarant.

(l) Hic non des Menschen Sohn reddere debebat Lutherus, sed eines  
 Menschen Sohn: vti fecerat duobus illis *Apocalypso* locis. Ac  
 notaui iam huic errorem Ven. Michaëlis in *Diss. de Christo,*  
*filio hominis,* §. XI. Fefellit etiam Calouium memoria, cum  
 in *Bibl. illustr.* ad *Matth VIII. 20.* scribit, Christum *Apoc. I.*  
 & XIV. vocari τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου.

XIV. 14: ac simul obseruate nobiscum, etiam *Dan. VII. 13. filium hominis*, id est, *hominem*, a Theodotione (cuius enim *(m)* est ea huius libri interpretatio, quam habemus,) vocari *(n)* *ὄν ἀνθρώπου*.

Quam notionem huic (*filii hominis*) titulo non poterant non tribuere beatissimi *(o)* illi duodecimuiuri, eam confirmabat CHRISTVS infelices pronuntiando illos, quos offendat habitus vitae suae vilissimus & a regio splendore, quo indutum Messiam esse venturum per suam habebant *μὴ (p)* *εἰδότες τὰς γραφὰς* Iudaei, remotus longissime. *Μακάριός ἐστιν, (q)* *ὅς ἐάν μὴ σκανδαλισθῆ ἐν ἐμοί*, hoc est, qui *(r)* non propterea me habuerit pro pseudomesia, quod non sim rex magnificentissimus, sed homo conditionis humillimae. Scandalizatos autem, vt sic loquamur, fuisse Iudaeos vilitate & personae & familiae IESV, luculentissimos testes habemus *(s)* Matthaeum ac *(t)* Marcum. Nec illa minus re hunc tituli *filii hominis* sensum fulciebat Saluator, quod subinde statui *filii hominis*, in quo tunc versabatur, opponebat statum diuinæ suae maiestatis tum inconspicuae. *Filius hominis*, inquit *Matth. IX. 6.* (id est, IESVS,

qui

- (m)* Debemus hanc notitiam Hieronymo: cuius loca produxit Ven. Carpzovius *Crit. sacrae V. T. P. II. cap. 3. §. 3. n. 4. p. 565. sq.* Pluribus vero id edisseruit Buddeus in *Diff. de Theodotione §. VI.* Conf. Montefalconii *Praeliminaria ad Hexapla cap. IX. p. 64.*
- (n)* Eodem modo *filii hominis* redditur a LXX, quos vocant, *Psal. VIII. 5; LXXX. 18. & CXLIV. 3.* quae loca ex Hebraeo codice supra adduximus.
- (o)* Ita eos ipsemet vocat CHRISTVS *Matth. XIII. 16. 17.*
- (p)* *Matth. XXII. 29.*
- (q)* *Matth. XI. 6.*
- (r)* Malam huius loci paraphrasin exhibent Erasmus & Hammondus, veriore Clericus.
- (s)* *Cap. XIII. 54. 57.*
- (t)* *Cap. VI. 3.*

qui nunc est homo infimae fortis, proptereaque vobis est despiciatissimus, longe alius est, quam vos existimatis. Est enim is, qui) *habet potestatem remittendi peccata hominibus.* Sic & *Matth. XII. 8: Filius hominis, inquit, est dominus sabbathi.* Et (u) *cap. XVI. 27: Filius hic hominis veniet in maiestate patris sui una cum suis angelis.* Ac memoratu inprimis dignum, in toto Ioannis *Euangelio* appellationem *filii hominis* semper vsurpari ita, vt simul ei opponatur diuina Saluatoris maiestas: vt adeo hic ἐπισημῶς (x) *CHRISTI* discipulus pro locupletissimo habendus sit istius appellationis interprete. Illud vero ante omnia considerandum nec temere dubitandum, quod *CHRISTVS* indicem digitum intenderit in illius veteris Testamenti *Euangelitae, Iesaiæ, vaticinium, cap. LIII. 3. praedicens, Messiam esse futurum* ἡὐτὸν *despectum contemtumque hominem;* itemque in illud patris sui κατὰ σάρκα, *Dauidis, Ps. XXII. 7. docentis, Messiam futurum esse* οὐ γινώσκοντες (en ipsius *CHRISTI* verba *Marci IX. 12. ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθη καὶ ἔξουθενῶθῃ, verachtet werde,* vt optime noster *Lutherus* reddidit.

Diximus paulo ante, humillimam *CHRISTI* conditionem scandalo fuisse ludacis, hoc est, eos ob id ipsum

[u] Similes loci sunt *Matth. XIX. 28; XXIV. 30; XXV. 31; XXVI. 64. & Marci VIII. 38. & Lucae XVII. 30*: quo postremo loco cum dicitur, *uenturum esse diem, quo & videbitur* ἀνθρώπου ἀποκαλυφθήσεται, clarissime indicatur, illo die cognitum iri, *IESVM* hunc, *filium hominis*, hoc est, hominem speciei vilissimae, abiecta omni vilitate se representaturum esse tanquam regem ac iudicem huius vniuersi. Notandus est hic grauissimus error *Grotii*, locum illum, quem e *Matth. XII. 8. produximus, non de CHRISTO interpretati, sed de quouis homine.*

(x) Cur hoc nomen *Ioanni* Apostolo indiderint veteres *Graecae Ecclesiae* doctores, facile intelligitur. Vid. *Suiceri Thesaurus Ecclesiae, T. 1. p. 1183. sq.*



psium negasse, Messiam esse eum, quod careret, qua fulgere Messiam oportere credebant, regia magnificentia. Non est igitur, quod (y) dubitemus, IESVM hunc Nazarenum ab ipsis vulgari & obvio vocabulo subinde dictum fuisse *filium hominis*. Quid? Posterius quoque acui Iudaeos IESVM nostrum vocitasse *vilem & contemptu dignum hominem*, docet (z) Eisenmengerus. Non fuerat videlicet Rabbi creatus, nec eorum institutus in (a) scholis. Iam cum docendo id affectus esset, ut RABBI salutaretur a pio populo, stomachabantur doctores Iudaeorum, molestissimeque ferebant, eum tanto condecorari titulo, hominem quippe de plebe siue *filium hominis*, qui patre natus plebeiae (b) sortis, artem fabrilem, quae & patris fuit, diu (c)

exer-

(y) Facilis haec conclusio etiam a Ven. Pfaffio profertur in *Notis exegeticis in Euangelium Matthaei ad Cap. VIII. 20. p. 109.* Non potuisse non a Iudaeis tum designari communiter hoc nomine IESVM, scribit, cum ארם כן Hebraeis sit *homo ignobilis & sortis contemptae*. Idem obseruauit Clericus inter notas Hammondianae ad eundem Matthaei locum. Digna sunt eius verba, quae hic adscribamus, cum breuiter iis exponatur iusta & plena tituli *filii hominis* interpretatio. Ο υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, inquit, *Hebraismus est, quo homo humilis sortis significatur. Vid. Psal. XLIX. 3. Eo vititur CHRISTVS, ut semet ipse designet, quia contemptus causa sic a legis doctoribus vocabatur, quod ut plebeium hominem se gerebat, cum nec munere villo publico fungeretur, nec dignitate vlla ornatus esset, nec diuitias haberet, propter quas a multitudine magni feret. Itaque & statum suum humilem eo loquendi genere significat, & oblique eorum superbiam & inscitiam notat, a quibus homo vilis habebatur.*

(x) In *Reuelatione Iudaismi T. II. cap. 2. p. 124. Conf. T. I. cap. 2. p. 84.*

(a) Vid. Ioan. VII. 15. Marci VI. 2.

(b) Nonne est *filius fabri?* inquebant Matth. XIII. 55.

(c) Nonne hic est *faber, filius Mariae?* mirabundi exclamabant Nazarethani Marci VI. 3. Qui locus ideo insignis, quod ibi eius rei testes sunt, quorum in conspectu IESVS vixerat vsque ad illud

exercuerit. Nata deinceps hinc fuisse videtur illa mul-  
torum Iudaeorum de duobus Messis (d) fabella. Sci-  
licet cum Iudaeorum complures tandem viderent, IES-  
VVM Nazarenum non posse esse pseudopropheta[m],

quippe  
lud tempus, quo coepit obire munia Messiae. Rectissime igitur Polycarpus Lyserus in *Harm. Euangel. cap. LXX. p. 793: Dubium est nullum*, inquit, CHRISTVM in iuuentute sua fabrillem artem exercuisse. Ac iam olim id agnouit Iustinus martyr in *Dialogo cum Tryphone p. 270.* editionis Iebbiana[e]: vt alios praefatae Ecclesiae doctores omittamus. Postea Marcus testimonii sui claritate doctores omittamus. Postea Marcus testimonii sui claritate idem persuasit Nicolao Lyrano in annot. ad h. l. atque recentiores inter Theologos PONTIFICIIS, Erasmo ad *Matth. XIII. 55.* & ad *Marci VI. 3.* [quo posteriore loco etiam refert, sua aetate genus quoddam monachorum fuisse, qui imitaturi CHRISTVM exercerent artem fabrillem, malleumque pro insigni gererent, ac proinde se appellarent *Iesuitas*:] Bellarmino *lib. 1. de arte moriendi cap. 16.* Maldonato *Comment. ad Matth. XIII. 55.* Fenelonio, Cameracensi Archiepiscopo, in *libri de educatione filiarum cap. 8. p. 560.* versionis Germanicae; Graueonio, Professore Theologiae Parisiensi, in *Tractatus de mysteriis & annis Christi*, a. 1711. editi, *Diss. XI. p. 235.*; REFORMATIS, Drusio & Lightfooto ad *Marci VI. 3.*; Grotio & Dan. Heinsio ad *Matth. XII. 55.* Guil. Cauo in *initio Hist. lit. script. eccles. LUTHERANIS*, Ven. Cypriano in *Pentade Dissert. eccles. p. 5.* Ittigio *Hist. eccles. saec. 1. cap. 7. sect. 1. §. 14. p. 352.* Hillschero, Theologo Dresdensi, in *Miscell. Lips. T. V. p. 35.* et in Fabricii *Cod. apoc. N. T. P. III. p. 437. ac 439.*; Heupelio *Comment. ad Marci VI. 3.*; Calouio denique, nihil scilicet in *Biblis illustratis* disputanti aduersus Grotii sententiam. Adeo se demisit humileque fecit verbum caro factum, tantamque adiciuit μορφήν δούλου, vt in otio iuuenili nec patris putatiui labores delugeret opificios. Quanquam, eodem temporis tractu ex eius ore subinde emanasse doctrinas diuinissimas, ex eo, quod Lucas cap. II. 47. scriptum reliquit, facillime colligitur. Adiuuans & hoc, quod, cum Iosephus diu ante, quam CHRISTVS doctoris publici munus obiret, vita excessisse credatur iure, post mortem eius manuario illo labore abstinuisse CHRISTVS haud immerito creditur.

[2] Exstat de gemino Iudaeorum Messia singularis Disputatio Christoph. Cellarii, & singularis isque iustae magnitudinis liber Ven. Glaesneri tribus abhinc annis editus. Quae occasio huius fabulae

quippe cum, se vere a DEO missum fuisse, tum sua resurrectione, tum Spiritus sancti in suos Apostolos infusione satis demonstrarit, eique adeo, se Messiam professo, fidem habendam; nec tamen pares essent vincendo de regia Messiae magnificentia praeiudicio; vtrumque sibi statuendum defendendumque putarunt, & *filium illum hominis*, filium videlicet Iosephi Mariaeque, fuisse Messiam, & maiorem alterum Messiam, Davidis filium, sibi adhuc expectandum esse. Pius ab istis saltimque semichristianis Iudaeis, (quibus ob eam ipsam opinionem *Ebionaeos*, id est, *pauperes*, vocari contigit,) hunc errorem postea manasse ad Iudaeos a Messia nostro auerissimos, a parentibus scilicet non prorsus ἀπίστους ad nepotes deteriores & ex toto Iudaeos, atque ab horum multis hodieque fore, mirum videri haudquaquam debet.

Vidimus adhuc, veteres illos Iudaeos eorumque proceres, cum CHRISTVM suis oculis cernerent eiusque miracula, tamen ob id, quod *filius hominis* (hoc est, homo de plebe) esset, eum reiecisse. Ac verisimile est, hoc simul spectasse CHRISTVM, eum saepius in sermonibus ad indociles Iudaeos eorumque Theologos (νομοδιδασκάλους) mimesi quadam hoc *filii hominis* titulo usus est, tanquam ita dicturus: *Is, quem vos filium hominis appellatis & ob suae personae humilitatem contemnitis.* Huius generis loca sunt *Matth. VIII. 20. IX. 6. XII. 8. & 32. & 40. LXXVI. 64.* Ac legimus *Ioan. XII. 34.* quosdam de populo infectatos esse

lae genitrix fuerit, aliam profert sententiam Grotius *lib. V. de ver. relig. Christ.* §. 19. aliam Balsnagius *Hist. Iudaeorum lib. II. cap. 10. §. 10.* aliam Vitringa *Obj. sac. lib. VI. cap. 21. p. 489. sqq.* aliam Theod. Haseaeus in *Biblioth. Brem. T. VIII. p. 250. sqq.* aliam denique doctissimus Glaesenerus,

esse hunc titulum, quo se CHRISTVS afficere solebat, iudicasseque, verissime ipsi conuenire hunc titulum. Quorum verba hac paraphrasi lucidiora reddimus: Tu dicis, filium hominis, id est, te, breui sublatum iri e terra. Iam vero nos e sacro codice cognitum habemus, Messiam in mundo permansurum esse. Quis est igitur hic filius hominis, quem tu vocas? Scilicet vere filius hominis est, hoc est, homo contemptu & reiectione dignus, ac nihil minus, quam ὁ χριστός siue Messias.

Apparet nunc, cur CHRISTVS nunquam se post suam resurrectionem appellarit *filium hominis*, neque in historicorum quatuor sacrorum libris, neque in (e) *Apocalypsi*. Scilicet desierat tum esse *filium hominis*, id est, homo vilis & contemptae conditionis. Apparet item, cur CHRISTVM sui Apostoli nunquam ita nominarint, neque cum adhuc versabatur in mundo conspicuus, neque suis in epistolis post eius gloriosissimum in coelum reditum scriptis. Posteriori enim tempore titulus

(e) Nonneminis, qui, *Apoc.* I. 13. & xiv. 14. τὸν ὄντα τὸ ἀρχαῖον vocari CHRISTVM, scripsit, inspecta tum fortasse sola versione siue Latina siue Germanica, errorem supra iam obseruauimus: eiusque rei denuo lectores nostros admonere nobis necesse est, quia eundem incidit in errorem Iac. Gaillardus, qui a. 1684. singularem de hac *filii hominis* appellatione librum edidit. Accipimus hanc occasionem, indicandi loca singula, quibus ὁ ὄντας τὸ ἀρχαῖον a se vocatur Saluator. Apud *Matthaeum* quidem id generis loca occurrunt 32. apud *Marcum* 14. apud *Lucam* 26. apud *Ioannem* decem. En ea! *Matth.* viii. 20. ix. 6. x. 23. xi. 19. xiiii. 8. 32. 40. xlii. 37. 41. xvi. 13. 27. 28. xvii. 9. 12. 22. xviii. 11. xix. 28. xx. 18. 28. xxiv. 27. 30. bis, 37. 39. 44. xxv. 13. 31. xxvi. 2. 24. bis, 45. 64. *Marci* ii. 10. 28. viii. 31. 38. ix. 9. 12. 31. x. 33. 45. xiii. 26. xvi. 21. bis, 41. 62. *Lucae* v. 24. vi. 5. 22. vii. 34. ix. 22. 26. 44. 56. 58. xi. 30. xii. 8. 10. 40. xvii. 22. 24. 26. 30. xviii. 8. 31. xix. 10. xxi. 27. 36. xxii. 2. 48. 69. xxiv. 7. *Ioannis* i. 52. iii. 13. i4. vi. 27. 53. 62. viii. 28. xii. 23. 34. xiii. 31.

( II )

lus iste minime conuerſebat CHRISTO: priori (f) non decebat ipſos eo titulo vti, quem Iudaei CHRISTO tribuebant per ludibrium & contumeliam, CHRISTVS ipſe vſurpabat partim per mimetum, partim per humilitatem ad deſcribendam mundanam ſuam ignobilitatem & aſſumtam *μορφή δούλου*, a prophetis praedictam. Occurrit quidem vnus locus *Act. VII. 56.* vbi Stephanus, ille martyr primipilus, ait: *Video coelum apertum, & filium hominis a dextra DEI ſtantem.* Verum obſeruari oportet, non eſſe haec Stephani verba, ſed ipſius CHRISTI, a Stephano ita, vti CHRISTVS ea (teſtibus Matthaeo xxvi. 64. Marco xiv. 62. & Luca xxi. 69.) protulerat, repetita: exclamanti, nunc impletam eſſe praedictionem CHRISTI, ſequē nunc illum, qui nuper humillimus homo fuerit, ob humilitatemque ſuam a Iudaeorum nobiliſſima parte pro Meſſia non fuerit habitus, cernere diuinae maiestatis participem. Ac plane eundem in modum *Lucae xxiv. 7.* poſt reſurrectionem Saluator ſua verba repetit, quibus ante ſuam mortem ſe appellarat *filium hominis*, vt ineptiſſime ſit facturus, qui hunc locum producat ad docendum, CHRISTVM etiam poſt reſurrectionem ſuam *filium hominis* ſe nominariſſe.

Haecenus ſimpliciſſimam exhibuimus interpretationem eius, quam ſecerat ſua docens inter Iudaeos *FILIVS DEI*, appellationis, eamque ſatis reddidimus perſpicuam: cum alii (g) breuiter nimis eandem propoſuiſſent minusque explicite, alii (h) aliam adiungendo interpre-

(f) Obſeruatu dignum, quod CHRISTVS diſcipulorum duos ad aſſum adducendam emittens non iuſſit eos ita praefari: *Filius hominis hoc animali vti cupit*, ſed haec proferre verba: *Ὁ Κύριος εἶπεν ἡμεῖς ἔρχεται.* Omnes Euangelistae, qui hoc literis mandarunt, haec ipſa verba recitant, Matthaeus xxi. 3. Marcus xi. 3. Lucas xix. 31. Erat videlicet tum CHRISTVS in eo, vt intrans cum aliqua magnificentia Hieroſolymam, quis eſſet, [hoc eſt, ſe omnino Meſſiam eſſe,] oſtenderet.

(g) Maldonatus ſcilicet *Comment. ad Mattheum* p. 196. Tirinus *Comm. ad Matth. viii. 20.* Poſſinus in *Spicilegio Evangelico* cap. 32. p. 76. Grotius & Clericus ad *Matth. viii. 20:* qui poſterior & in *Harm. Euang.* cap. x. p. 52. verba illa CHRISTI *Ioan. 1. 52: Angeli deſcendent ad filium hominis, παραπέμπει hoc modo: Angeli ad me, quanquam a quolibet e vulgo externa ſpecie minime diſſera, deſcendent.* His non ita pridem ſuum adiecit ſuffragium Ven. Paffius in *Notis exeg. ad Mattheum*, & quidem ad cap. viii. 20.

(h) Scultetus in *Exercit. Euang.* lib. II, cap. 48. & Rufius in *Harm. Euang.* lib. II, cap. 9. p. 428. putant, ſimul humanam CHRISTI naturam, ſimul humilem eius tum ſtatum ea appellatione innui. Vtramque huius appellationis cauſam etiam Calouius affert

tationem verum eius tituli sensum nonnihil obscurassent. Superest, ut diuersas afferamus interpretationes, earumque commonstremus imbecillitatem. Omissis autem illis, quae plane nihil salis [i] habent, primo loco commemoramus vetustissimorum quorundam, sed Hebraice indoctorum, Ecclesiae doctorum sententiam, quibus, ideo CHRISTVM hoc se insigniisse titulo, censuerunt, ut doceret, se verum esse hominem, non phasma vel phantasma aliquod. Ipsorum videlicet aetate tam deliri exorti erant haeretici, qui contenderent, CHRISTVM non habuisse verum corpus, sed ymbram corporis humani, nominati *Docetae* a *δοκῆν*, (*videri*,) quod ipsum verbum de hoc haeticorum genere loquens profert [k] Tertullianus. At eo tempore, quo *filium hominis* se vocabat CHRISTVS, nullusdum erat sub sole *Doceta*, nec quicquam

affert in *Bibl. illustr.* ad *Ioan.* I. 52. Martinus Chemnitius *Harm. Euang.* cap. 28. p. 242. plures profert huius nominis causas, quarum vna vera est, his verbis expolita: *Quia in Hebraea lingua excellentes & clari viri, existentes in magna dignitate & auctoritate, vocantur filii viri; plebei vero & obscuri vocantur filii hominum; ideo per summam humilitatem & exanitionem in forma serui vocat se CHRISTVS filium hominis.* Eadem fere verba profert Gerhardus *Harm. Euang.* cap. 187. p. 82. sed alibi, videlicet cap. 161. p. 181. sq. & cap. 162. p. 221. alias attexit causas, quae alienae sunt. Antonius quoque Bynaes in libri *de crucifixo Christo* cap. I. §. 13. veram illam interpretationem agnoscit, quam nos defendimus, sed itidem coniunxit cum ea aliam non coniungendam. Idem fieri videmus a Lampio *Comm. in Euang. Ioannis* p. 485.

[i] Morosophicas Valentinianorum de CHRISTO *filio hominis* opiniones Irenaeus recitat lib. I. cap. 7. Alii scilicet eorum, ideo cum ita se nominasse, volebant, quod *esset generatus ex duodecim aeonibus* iis, qui facti sunt ab *Anthropo & Ecclesia*; alii propterea, quod *ea virtus, quae est super omnia & continet omnia, "Αρδωρες* vocetur. Apage vero tanta & verborum & sententiarum monstra! Alias Alexandri cuiusdam, Abbatis Gemmeticensis, ineptias, qui saeculo duodecimo monachica subtilitate disputauit de hoc titulo *filii hominis*, qui cognoscere gessit, inspiciat Martenii *Tbesaurum Anecdotorum* T. I. p. 777. sq. Omittimus etiam cuiusdam Pfocheniani errorem, arbitrati, e media Graecia petitam fuisse hanc appellationem, CHRISTVMque vocantis imitatore styli Platonici. Non recordabatur scilicet, CHRISTVM non Graeca lingua vsum esse, sed Iudaica, veteris Hebraeae quadam filia.

[k] Libri *de carne Christi* cap. 1. Egerunt copiose de *Docetis* Ittigius de *haeres.* saec. II. cap. 10. & Buddeus lib. de *Ecclesia Apostolica* cap. V. §. 7. p. 550. sqq.

tum discipulis, tum aduersariis CHRISTI magis persuasum erat, quam IESVM esse verum hominem. Volebat autem utique CHRISTVS, titulum illum non a posteritate demum intelligi, sed ab iis ipsis, ad quos verba tum faciebat. Tamen haec sententia, quod scilicet CHRISTVS hac appellatione nihil aliud voluerit, quam, se verum esse hominem, multos nacta est subscriptores. Ac e veteribus quidem ita senserunt [1] Irenaeus, (m) Tertullianus, &, quos idem sentiens [n] Suicerus producit, Gregorius Nazianzenus, Eusebius, Cyrillus Alexandrinus, Chrysoctomus, Ammonius: quorum auctoritate permoti e recentioribus ita censuerunt [o] Flacius, [p] Pafor, [q] Vortius, itemque nosster [r] Glaffius: haud immerito refutati a Gaillardo, non solum id argenti, quod Iudaeorum nemo dubitarit, IESVM esse verum hominem, verum etiam recte obseruanti, non *Ἰδὺ ἀνδρώπῃ*, (id quod *hominem* significat) sed *τὸν Ἰδὺ τῆ ἀνδρώπῃ* a se vocari CHRISTVM. Elegans item est Ven. Michaelis [s] animaduersio, nulla in versione N. T. neque vetere neque recentiori *τὸν Ἰδὺ τῆ ἀνδρώπῃ* redditum esse *hominem*: ex quo apparet, perspicuum fuisse interpretibus illis ad vnum omnibus, CHRISTVM aliud, quam humanitatem suam, ea appellatione indicatum voluisse.

Iam cum alii satis hoc agnoscerent, aliam circumspererunt appellationis huius causam & interpretationem. Ac rediit hic quibusdam in memoriam, antecessorem nactus (t) Tertullianum, a Daniele cap. VII. 13, appellari Messiam *filium hominis*: qui cupide sunt hanc (u) amplexa-

(1) *Lib. V. cap. 14. & 21.*

(m) *Lib. III. adu. Marcionem cap. 11. & lib. IV. cap. 10.* Quo posteriore loco cum scribit, primum *Matth. IX. 6.* se appellasse CHRISTVM *filium hominis*, merito hunc errorem notat Scultetus *Exerc. Euang. lib. II. cap. 48.* Alium vero ipsemet errat, primum id factum esse a CHRISTO putans *Matth. VIII. 20.* Nam primus huius appellationis locus occurrit in Ioanne Euangelii cap. I. 52.

(n) *Thef. eccl. T. II. p. 1355.*

(o) In *Clavi p. 121.* Refertur huc etiam Erasmi sententia potest, ad *Matth. VIII. 20.* credentis, *filium hominis* hic dici *pro filio Adami.*

(p) In *Lexico N. T. v. 166.*

(q) *Philol. sacrae cap. 13. p. 274.*

(r) *Philol. sacrae lib. III. tract. 1. can. 38. p. 671.* Consentient Pol. Lyserus *Harm. Euang. cap. 63. p. 686.* & Io. Olearius *lib. de stylo N. T. p. 92.* edit. Schwarziaanae. Conf. Wolfius *Cur. Crit. ad Matth. VIII. 20. p. 159.*

(s) §. VI.

(t) *Lib. IV. adu. Marcionem cap. 10.*

(u) Haec se sententia probauit Mart. Chemnitio *Harm. Euang. cap. 28.*

ti sententiam, a CHRISTO illuc loci respectum fuisse, atque hanc veram esse huius ab eo adsciti tituli causam. Verum acutior huius loci inspectio docet, nihil aliud sibi velle prophetam, quam, Messiam futurum esse *verum hominem*; &, quemadmodum Ioannes dixit: *Verbum CARO factum est*, sic Danielem praedixisse: *Verbum CARO fiet*. Atque ita locum hunc propheticum interpretantur duo magna Ecclesiae nostrae lumina, Geierus in *Commentario*, & Carpzouius in singulari Dissertatione ad locum hunc ipsum a. 1689. edita. Profertur igitur isto loco non proprium Messiae nomen, sed communis vniuersorum hominum appellatio. Accedit, quod CHRISTVS hoc pacto publice ac faepenumero se professus fuisset Messiam: cum tamen constet, eum in exitu demum (\*) mortalis suae vitae id palam confessum esse, antea vero nec e suo nec e suorum discipulorum (y) testimonio Messiam cognosci voluisse, sed ex operibus (z) suis.

Multo magis reiicienda est eorum opinio, qui CHRISTVM existimant titulo *fili hominis* respexisse ad eundem Ezechielis titulum. Ornavit quidem nuper studiose Reformatus quidam (a) Theologus hancce sententiam, & paulo ante e nostratibus quidam (b) *ἀνθρώπος*. Verum adeo leui armatura uterque pro sua propugnat sententia, vt non sit, cur hic haereamus diutius. Nam & Daniel *cap. VIII. 17.* eodem, quo Ezechiel, affectus est titulo: nec quicquam, nisi *homo* (*ἄνθρωπος*) uterque illo nomine appellatur: id quod perspicue docent (c) Geierus & (d) Ven. Langius.

Facienda nobis & eorum est mentio, qui censuerunt, ideo vocatum

a se  
28. p. 242. vbi & statuit, id temporis apud Iudaeos *Messiam*  
& *filium hominis* in vsu publico fuisse synonyma. Quae quidem posterior sententia nihil profus fundamenti habet. Priorem autem sententiam esse veram, etiam Bynaeus pluribus docere conatur lib. *de Christo crucifixo cap. 1. §. 18.* & Lampius *Comment. ad Ioannis Euangelium T. I. p. 483.*

(\*) *Matth. xxvi. 63. 64. xxvii. 11.*

(y) *Matth. xvi. 20.*

(z) *Matth. xi. 3. 4. 5. Ioan. x. 24. 25. 37. 38.*

(a) In *Miscell. Groning. T. II. p. 466. sq.*

(b) In *Coleri Biblioth. Theol. T. VII. p. 1213.*

Conf. *T. IV. p. 108.*  
Cum auctor hic tradit, CHRISTVM aequae toties, quoties Ezechiel, sacris in libris appellatum esse *filium hominis*, falsum id esse, recte docet Rufius *T. I. Harm. Euang. p. 1011.* Nam de Ezechiele 89. loca occurrunt, de CHRISTO 82. Illud obseruatu non indignum, primum Origenem hac fuisse in sententia, cuius verba e libro quodam nondum edito profert Possinus in *Spicil. Euang. cap. 32. p. 75.*

(c) *Comm. ad Dan. VII. 13. p. 550.*

(d) *Comm. ad Matth. VIII. 20. Conf. Ven. Michaëlis §. IV.*



a se fuisse CHRISTVM *filium hominis* singulari numero, quod non esset, ut homines caeteri, patre matreque natus, sed sola matre. Placuit haec opinio Iustino (e) martyri: quanquam ipsemet eam habet pro minus certa. Nec displicet ea (f) Pollino, qui, saltem subobscure indicatam eo titulo fuisse putat CHRISTI natiuitatem e virgine. Et si vero virgo haec erat ἀνδρῶν, tamen non ἐ, sed (g) ἡ ἀνδρῶν, vocari potuit. Itaque merito reuicimus vna cum (h) Guallo hanc sententiam, eius duntaxat indicantes ortum. Scilicet ita sumus homines, ut antea, quam ad veram certamque perueniamus sententiam, quamlibet coniecturam, subinde etiam leuissimam, amplexemur pro veritate, nubem pro Iunone, ne ignorare aliquid videamur.

Derique praetereunda non est Lightfooti (i) sententia, censentis, *filium hominis* significare *semen Adamo promissum* siue *Adamum secundum*. Suam postea fecit hanc interpretationem & magno opere ornauit Gaillardus, Theologus Batauus, in libro supra iam commemorato. At nobis quidem tam tenebrosa videtur haec interpretatio, ut valde miremur, eam cuiquam se probasse. Quis enim ex CHRISTO id nominis audiens videre potuit, τὸν ἀνδρῶν significare *Adamum*? Ac, si forte quis videre id potuisset, quo iudicio cognouit, *filium Adami* significare *semen mulieris Adamo promissum*? cum Messias ab omnibus *filius Davidis* appellari consueuerit, *filius Adami* a nemine. Accedit, quod CHRISTVS (cuius rei supra iam meminimus,) noluit, ante suam passionem discipulos suos praedicare ad Iudaeos, se Messiam esse. Iam quam inconueniens fuisset CHRISTO, iis id interdiceret, quod ipse faciebat quotidie? Summo itaque iure & hanc sententiam repudiamus, eoque magis in nostra, quam primo loco posuimus & exposuimus, acquiescimus, quod claritate & firmitudine caeteras vincit singulas.

Vidistis haecenus nobiscum, CIVES CARISSIMI, ad nos redimendos ac saluandos FILIVM DEI factum esse *filium hominis*, hoc est, suscepisse μερῶν βέλου. Nostis, nasci eum voluisse e paupere mulier-

(e) *Dial. adu. Tryphonem* p. 295. edit. Iebbianae, p. 353. edit. Thirlbanae. Alia Pseudo Iustini martyris coniectura, quam profert *quest. 66, Resp. ad orthodoxos*, ne digna quidem est, quae huc afferatur.

(f) *Spicil. Euang. cap. 32. p. 79. & 83.* Nuper etiam Celeb. Schwarzus in *Lexico N. T.* p. 117. pro certo se habere, professus est, *filium hominis* a CHRISTO dictum esse pro *filio Mariae*.

(g) Saepius ἡ ἀνδρῶν dicit Aelianus. Vid. *index* ad eius Πισί-  
αν ἱστορίαν.

(h) *Philol. Iacrae lib. III. traβ. I. cap. 38. p. 671.* vbi opinionem hanc appellat *friuolam*.

[i] *Hor. Hebr. ad Matth. XVI. 13.* Non est prorsus iniquum Clerici de coniecturis Lightfooti exegeticis iudicium, quod promissum in *Artis criticae T. II. p. 217.* editionis primae.

cula, idque in stabulo. Nostis, omnem eius in hoc mundo vitam fuisse humillimam, similemque eum ad vltimum subisse mortem. Cogitate, quae vitae lex hinc nobis conficienda sit, qui a CHRISTO nomen gerimus: vel potius audite, quid inde concludat Paulus (k) Apostolus. *Is sit affectus in vobis, inquit, qui fuit in CHRISTO IESU. Hic enim deposita maiestate diuina sumit formam serui, in tantumque se ἐταπεινώσατο.* Labet igitur (v. 3.) nos esse cultores τῆς ταπεινότητος, humilitatis. Imo ipse CHRISTVS hoc nobis praeceptum (l) dedit: Μάθετε ἐπ' ἐμῆ, inquit, ὅτι πρῶτός ἐμι καὶ ταπεινός τῆ καρδία. Credite proinde, nullum gratius hoc tempore afferri ad CHRISTVM posse sacrificium, quam cor humile & superbia vacuum. Nostis, qui se humiliaverit, eum exaltatum iri. Nostis etiam, praecipue doctis inflat (m) scientia. Illa igitur demum est placens DEO eruditio, quae forem habet humilitatem. Verissime Thomas (n) a Kempis: *Melior est profecto humilis rusticus, quam superbus philosophus.* Est humilitas in choro virtutum, itemque in choro scientiarum, id, quod in aureo annulo gemma: nec vlla virtus est vera virtus, nisi quae decem comitemque habet humilitatem. Est haec virtus omnium Christianarum virtutum Christianissima. Humilitatem autem etiam illam exercete, o NOSTRI, erga CHRISTVM, vt eum reuerentissime colatis tanquam eum, qui est (o) ἐπὶ πάντων Θεὸς ἐυλογητὸς εἰς τὰς αἰῶνας, quique nobis praefens (p) est omnibus diebus usque ad mundi consummationem. Ita rite & sancte celebrabitis natalem CHRISTI: ita gratia eius, ita beneficiis eius omnibus fruemini, beatamque in hoc aevo agetis vitam, in futuro beatissimam.

P. P. primo dierum natiuitati filii Dei sacrorum cIoIo cc XL.

[k] Phil. II, 6.

[m] I. Cor. VIII, 1.

[o] Rom. IX, 5.

[l] Matth. XI, 29.

[n] Lib. I. de imit. Christi cap. 2.

Deitatis CHRISTI, quae Hebr. III, 4. occurrit, cum ea interpretum haud paucorum fugerit oculos. Ait v. 3. vir sanctus, CHRISTVM esse creatorem mundi, idem docens, quod in Euangelio suo Ioannes docuit cap. I, 3. Atqui [ita v. 4. concludit,] ὅ τὰ πάντα κατασκευάσας θεός, subaudi ἐστὶ, qui hoc vniuersum creauit, huiusque mundi auctor & conditor est, is est DEVS, hoc est, eum necesse est DEVM esse. Der aber (ita reddenda sunt haec verba,) dieß alles (hoc est, die ganze Welt) erschaffen und zu einem so grossen und schönen Welt-Gebäude gemacht hat, der ist ja Gott, hie, der miß ja nothwendig Gott seyn. Ex mundi creatione, inquit, a CHRISTO facta cognoscimus clarissime, eum esse DEVM. Creari enim mundus, nisi a DEO, non potuit. [p] Matth. XXVII, 20.

ad 24.

00 A 6402


ULB Halle 3  
002 927 349




Sb.

VD 17







15 19

PRORECTOR  
ET  
SENATUS ACADEMICVS  
GEORGIAE AVGVSTAE

SOLVTA QVAESTIONE ILLA  
CVR FILIVS DEI  
PERFREQVENTER SE APPELLARIT  
FILIVM HOMINIS  
PIAM ET SANCTAM INDICIT

CELEBRATIONEM

FESTI NATIVITATIS  
CHRISTI.



GOTTINGAE  
APVD ABRAMVM VANDENHCECK, ACAD. TYPOGR.

1540.

*Illustr.*